

vem, descendit de Altari, et in infimo eiusdem gradu genuflexus cum omnibus aliquantulum orat.

1385. Completo Hymno, nihil subditur, sed post brevem orationem, extinctis intorticiis seu candelis, quas vel Clericus vel Frater Laicus colligit, omnes surgunt, duplicem genuflexionem peragunt et ordinatim revertuntur ad Chorum: Celebrans vero facta pariter duplici genuflexione in plano, praecedentibus Thuriferariis et Crucifero inter Ceroferarios, medius inter Assistentes revertitur, tecto capite, directe ad Sacrarium, ubi depositis paramentis albis sumit Stolum violaceam decussatam supra pectus firmatamque extremitatibus Cinguli. Pergit inde secundum consuetudinem nostram simul cum aliis adhuc superpelliceis indutis ad Chorum, ubi Vesperae sine cantu, sed candelis maioris Altaris adhuc accensis, dicuntur ritu in Breviario indicato. Sub id tempus, si Pyxis nondum asportata fuerit, P. Sacrista vel alius Sacerdos id perficiat ritu consueto, ut dictum est num. 1380. Si vero nullus alius adsit Sacerdos, id faciat ipse Celebrans, adhuc Pluviali indutus, antequam ad Sacrarium revertatur. Notandum vero, quod Pyxis non est reponenda in Urna, ubi positus est Calix cum Hostia pro crastina die, nisi absolute alius non habeatur locus conveniens ad ipsam servandam.

1386. Vesperis finitis, Celebrans cum Acolythis aliisque Assistentibus, tecto capite et manibus iunctis, facta reverentia Choro, accedit ad Altare maius, ubi detecto capite et facta ab omnibus genuflexione Crucis, ascendit in medium suppedanei, Clerici vero in gradum superiorem ad latera, et ibi stans inchoat alta voce Antiphonam *Diviserunt sibi vestimenta mea*, quam prose-

quitur Chorus, cum Psalmo: *Deus, Deus meus, respice in me* etc. Interim, adiuvantibus Acolythis seu Assistentibus, Altare denudat, amovens tres tobaleas unam post aliam; reliqua ornamenta ut pallium, tabellas Secretarum, vasa florum, tapete etc. Clerici auferant, adeo ut in Altari non remaneant, nisi Crux et candelabra cum candelis extinctis. Postea eodem modo procedant ad denudationem reliquorum Altarium, incipientes ab illo, quod proximum est Altari maiori a cornu Evangelii et ita prosequentes, ut ultimum quod spoliatur sit propius Altari maiori a cornu Epistolae; Crux et candelabra in ipsis relinquuntur, nisi alia vigeat consuetudo¹. Transiens ab uno ad aliud Altare, Celebrans sibi caput cooperiat; transeuntes autem ante Sacellum, ubi SS. Sacramentum repositum est, omnes genuflexionem duplicem conficiant. Altaribus cunctis denudatis, praeter illud in quo repositum est Sacramentum, Celebrans redit cum aliis ante Altare maius, ibique in plano exspectant, donec in Choro ex toto fuerit recitatus Psalmus et repetita Antiphona *Diviserunt*: curetur autem a Choro, ut praedictus Psalmus ita sensim recitetur, ut cum denudatione Altarium prorsus absolvatur. Hisce peractis, facta genuflexione Crucis, omnes revertuntur in Sacristiam. Primus Clericus deinde amovet a Cruce Altaris maioris vestem coloris albi, remanente consueta veste violacea.

1387. Curabit Superior, ut assidue adsint, qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello ubi repositum est, utque decens numerus cereorum in eo colluceant.

¹ S. Rit. C. 7 Septemb. 1850, in Veronen. ad 12.

1388. In transitu ante Crucem Altaris maioris, hodie ab initio adorationis usque ad Nonam Sabbati sancti inclusive, omnes cuiusque conditionis sint, Celebrante parato non excepto, infra vel extra Officium unico genu genuflectunt. (Vid. n. 83) ¹.

1389. In Ecclesiis nostris non parochialibus, ubi aliqua de causa functiones Hebdomadae maioris perfici non possunt, libere potest Superior Missam Feria V in Coena Domini privatim celebrare ², ianuis clausis, ut suis alumnis Eucharistiam ministret ad Paschale praeceptum adimplendum: id fas est etiam peragere in Oratorio privato ³. Immo eadem de causa potest Superior celebrare in Oratorio privato de Indulto Apostolico erecto in domo de venia Superiorum conducta ad cohabitationem Fratrum, qui v. gr. vi legis suppressionis a proprio coenobio expulsi fuerunt. Nullus vero Sacerdos privatim hac die Missam celebrare potest sine speciali licentia.

1390. Haec de Missa et repositione SS. Sacramenti Feria V in Coena Domini, uti apud nos celebrari solet cum incensatione, iuxta concessionem Ordini nostro factam a S. Rituum Congregatione; ast ubi habetur numerus sufficiens Sacerdotum et Clericorum, Missa cantari debet cum Ministris paramentis sacris indutis iuxta ritum Missalis Romani, sive cantetur cantu Gregoriano, sive cantu choralis nostro. Et tunc Rubricis

¹ S. Rit. C. 9 Maii 1857 in Cadurcen. ad 5: 12 Septembr. 1857 in Molinen. ad 4.

² S. Rit. C. 15 Iun. 1776, in una Ord. Min. ad 17.

³ S. Rit. C. 31 Aug. 1839, in una Tert. Ord. S. Francisci, ad 1 et 2.

Missalis totaliter standum est ⁴; iuxta quas haec Missa differt a caeteris solemnibus in sequentibus tantum.

1391. Dicto *Agnus Dei* more solito, cum hodie non detur pax, Diaconus et Subdiaconus genuflectunt ad Sacramentum, et Diaconus transit ad sinistram Celebrantis et Subdiaconus ad dexteram, ibique manent in suo ministerio. Postquam autem Celebrans Calicem assumpserit, Subdiaconus illum cooperiet palla, et statim facta genuflexione Diaconus et Subdiaconus locum mutabunt, Diaconus quippe ad dexteram et Subdiaconus ad sinistram transibit. Caeremoniarius Calicem vacuum prope Corporale ponet, et Celebrans cum Ministris genuflectent; hinc S. Hostiam accipiet, quae in parte Corporalis est, et ponet in Calice, quem Diaconus sustinebit intra Corporale. Pallam inde ipse Diaconus ponet super Calicem, et inde Patenam inversam, extendet velum, ligabit, uti dictum est de Sacerdote assistente (num. 1378).

1392. Composito sic Calice, Diaconus illum ponet in medio Corporalis Crucem versus, Calicem vero Missae versus cornu Evangelii, sed supra Corporale; tum accipiet Pyxidem eamque ponet ante Calicem in quo est Hostia, et operculum ei detrahet. Hinc ambo Ministri, facta genuflexione, descendant in gradum superiorem Altaris, Diaconus ex parte Epistolae, Subdiaconus ex parte Evangelii, et Diaconus inclinatus cantabit *Confiteor* pro Communionem, quae fiet modo indicato num. 1379.

1393. Ministri ante omnes alios communicabunt, et statim Acolythus primus retrahet tobaleam, et Mi-

⁴ S. Rit. C. 17 Decemb. 1888 in una Ord. n. ad n. 3, 4, 5 et 17: et hoc Caeremon. n. 116 et seq.

nistri surgent et ibunt, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis, manibus iunctis: quod si usus adsit, Diaconus poterit Patenam submittere mento communicantium, non adhibens purificatorium. Clerici autem post Communionem Ministrorum, iterum tobaleam extendant, et continuetur Communio: qua completa, factis debitis genuflexionibus, ibit Diaconus in cornu Epistolae, Subdiaconus in cornu Evangelii, ubi, si usus sit Patena, ipsam tradet Celebranti purificandam, factaque iterum genuflexione Pyxidem cooperiet et reponet, aut tradet Sacerdoti asportandam, uti dictum est num. 1380. Post haec, quoties Ministri locum mutant, genuflectent ad latera Celebrantis.

1394. Diaconus canit *Ite Missa est* parum in cornu Evangelii. Finita Missa, Ministri in suppedaneo genuflexionem faciunt cum Celebrante, descendunt in cornu Epistolae, deponunt Manipulos, Celebranti ministrant in deponenda Planeta et Manipulo, ac induendo Pluviali. Simul cum Celebrante procedent ad Altare, genuflexionem facient in plano, et facta brevi oratione, more solito ministrabunt pro incensatione: qua peracta, et imposito Velo humerali Celebranti, Diaconus ascendit in suppedaneum, genuflexionem facit parum in cornu Epistolae, assurgit, Calicem dextera infra cuppam sumit, sinistram pedi submittens; se inde convertit super dexteram suam et Calicem ipsum porrigit Celebranti genuflexo, qui statim assurgit, accipit Calicem sinistra ad nodum, ponens dexteram super Patenam. Diaconus genuflectit, surgit, et adiuvante Subdiacono, qui cum Celebrante surrexit, extendit extremitates ambas Veli humeralis super Calicem et manus Celebrantis. Cae-

tera hinc peraguntur ut in processione SS. Sacramenti.

1395. Ad Sacellum cum pervenerint, Diaconus super gradibus Altaris ante Celebrantem genuflectat, assurgat et, detracto Velo e manibus Celebrantis, Calicem dextera infra cuppam, sinistra sub pede recipiat. Celebrans statim in infimo gradu geniculabit et Sacramentum adorabit. Diaconus inde convertetur ad Altare, et Sacramentum immediate condet in Urna praeparata, adhibito scabello, si opus sit, relinquens ostiolum apertum, et compleat deinde omnia more solito, atque uti dictum est de Sacerdote assistente (num. 1384). Reversi Ministri cum Celebrante ad Sacrarium, deponunt paramenta albi coloris, Diaconus sumit Stolum violaceam, Subdiaconus retinet simpliciter Albam, et inde pergunt ad Chorum pro Vesperis, ac postea ad denudationem Altarium simul cum Acolythis, uti dictum est num. 1386.

1396. Denudatis Altaribus, Sacrista aut quis alius amovebit a vasis Ecclesiae et Chori aquam benedictam¹, et effundet in Sacrarium: aliquam tamen partem reservabit pro administratione Viatici et Extremae Unctionis, quae occurrere posset hisce diebus, et pro benedictione novi ignis in Sabbato sequenti, praesertim si nostra Ecclesia esset parochialis et adesset in ipsa Fons baptismalis, tunc enim benedicenda non est nova aqua, cum in vasis Ecclesiae ponenda sit hausta a sacro Fonte, ante infusionem sacrorum Oleorum.

1397. Post Missam solemnem, usque ad Dominicam Resurrectionis, SS. Eucharistia neque publice, neque pri-

¹ S. Rit. C. 12 Nov. 1831, in una Marsor. ad 60.

vatim ministratur, nisi infirmis per modum Viatici. Quod si infirmo portandum sit Viaticum, caeteris servatis, signum non datur cum tintinnabulo, neque benedictio cum Sanctissimo impertitur, nisi infirmo communicanti¹: de caetero servantur omnia more solito, et Sacerdos iuxta viam aliquos Psalmos submissa voce recitabit absque *Gloria Patri* etc.

1398. Hodie et cras ad comestionem post Vesperas, pro mensae benedictione dicitur Ψ . *Christus factus est* etc. et *Pater noster*, totum secreto, deinde Superior, quin aliquid dicat, manu mensae benedicit. Pro gratiarum actione idem repetitur Ψ . et Ps. *Miserere*; postea dicitur Oratio *Respice* ac *Pater noster* secreto. Ad coenam dici potest *Ave Maria* more solito, et mensa a Superiore manu simpliciter benedicitur; vel etiam *Christus* etc. et Oratio *Respice* tantum.

1399. Attendant Superiores locales, nullo modo nobis iuxta Decretum S. Rit. C. 17 Dec. 1888 editum (Vide num. 120-122): licere hac die et duobus subsequentibus diebus pro sacris functionibus uti Memoriali Rituum a Benedicto XIII pro parvis Ecclesiis edito, nisi, ubi sufficiens numerus Sacerdotum et Clericorum aut Laicorum habilium non habeatur; de caetero caeremonias omnino faciendas esse iuxta Rubricas Missalis Romani.

Curent etiam Superiores, et cum Sacerdotes tum Clerici et Laici ante dies festos Rubricis in his sanctis functionibus exsequendis diligenter studeant et in ipsis sese exercent. Nihil enim sanctius ac praestantius Li-

¹ S. Rit. C. 15 Maii 1745, in Lucana.

turgia catholica Hebdomadae sanctae, sed et nihil opprobriosius erroribus et confusionibus, quae non raro his diebus in sacris functionibus ex negligentia et Rubricarum ignorantia committuntur.

§ IV. — De Mandato, seu lotione pedum.

1400. Licet Mandatum, seu lotio pedum enumeretur inter ritus huius diei in Missali Romano, attamen non est praeceptivum¹, neque locum habere solet, nisi in Cathedralibus et in quibusdam Regularium Communitatibus. Cum igitur istiusmodi functio libera sit, si fiat, absolute facienda est iuxta Rubricas statutas in ipso Missali Romano, quin aliquid ullo modo immutetur. Haec lotio fit ordinarie aut in Sacristia aut in aliqua aula capaci, uti apud nos est refectorium: processio non est incipienda ab Ecclesia, sed a Sacristia.

1401. Igitur, si fiat: denudatis Altaribus, hora competenti, vel ante meridiem, vel etiam a prandio², crocotali pulsatione Fratibus ad Sacrarium adunatis, duobus Acolythis et Thuriferario superpelliceis indutis, Superior cum Ministris, id est, Diacono et Subdiacono, sacris paramentis induantur: Superior Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali violacei coloris; Ministri pariter Amictu, Alba, Cingulo; Diaconus autem Manipulo, Stola ac Dalmatica albi coloris, et Subdiaconus Manipulo et Tun-

¹ Caerem. Episcop. 1. II, c. XXIV, n. 3.

² Exemplo et mandato Christi inhaerentes Episcopi, et alii Praelati et Superiores Regularium, necnon ipsemet SS. Pontifex et Principes saeculares catholici solent tredecim subditis vel pauperibus iuxta locorum et Ecclesiarum consuetudinem lavare pedes.